

3) Cum societas civilis non sit aggregatio aliqua arbitraria, sed naturalis associatio, non aliunde exquiri debet quis sit ejus finis quam ex ipsa natura inclinationis illius et causarum naturalium quibus ipsa haec societas oritur.

4) In hac vita, in qua finis ultimus non obtinetur, sed ad eum acceditur, homines possunt semper in exercitio suorum jurium perfici per evolutionem suarum facultatum.

Prob. Illud bonum est finis naturalis societatis civilis, ad quod obtainendum natura homines inducit ut talem societatem constituant; *a.* natura inclinat homines ad societatem civilem ineundam, ut per eam insufficientiae suppleant, tum individuorum, tum societatis domesticae, ad sibi procuranda omnia media honesta, tum negativa tum positiva, quibus exercere possint omnia sua jura perfecte; *e.*

Prob. min. Bona propter quae homines ad societatem civilem naturaliter inclinantur, reduci possunt ad pleniorum expletionem necessitatum, efficaciorum defensionem jurium, majorem perfectionem et facultatum evolutionem, efficacius exercitium innatae benevolentiae mutuae; idque ita ut homines in illorum bonorum communi procuratione nullum sibi praestituerint limitem, ultra quem progredi nolint; — *a.* talium bonorum procuratio communis apte exprimitur per descriptionem nostram propositam; *e.*

Coroll. 1^m Ergo *finis* societatis civilis *proximus* est temporalis, nam media illa juris exercendi sunt bona praesentis vitae; — sed est ordini morali subordinatus, nam ab isto pendent omnia jura, eique omnes actiones et tendentiae humanae conformari debent.

Coroll. 2^m Ergo *finis remotior* est felicitas sociorum in actu primo; nam quum felicitas hujus vitae in actu secundo sit in ipso hominis facultatum exercitio et evolutione secundum rectam normam, felicitas in actu primo erit in copia eorum omnium quae ad illud perfectum exercitium evoluti nemque necessaria vel utilia sunt; *a.* ea ipsa procurare intendit societas civilis; *e.*

Coroll. 3^m Ergo *finis remotissimus* et omnino *extrinsecus* est hominis felicitas in altera vita, finis simpliciter ultimus hominis: remotissimus, ad quem ipsa hujus vitae felicitas medium est; extrinsecus, quem ipsum non procurat societas, sed civibus media quibus si velint uti possint ad finem ultimum.

Schol. 1^m Eamdem nostram sententiam alii aliis verbis efferre conantur; v. c. *a.* finis est ordo exterior, pro communi prosperitate sociorum, interno ordine morali informatus; — *b.* sociorum jura sarta tecta custodire, ut ipsi pace et tranquillitate externa vitae temporalis frui possint, ac facultates suas per legitimum earum usum evolare et perficere; — *c.* bonum commune temporale externum; — *d.* tutela jurium; — *e.* tutela tum negativa tum positiva jurium; — *f.* prosperitas temporalis sociorum; — sed R. Haec omnia vera, at melius explicanda, ne nimis ad solam jurium tutelam, vel ad solam pacem publicam, restringi finis videatur, neglecta positiva medium procuratione; vel ne nimis extendi, neglecta moralitate mediorum. —

g. alii: finis est prosperitas temporalis publica, omnibus civibus, familiis et classibus organisatis communis, Deo subordinata, sub tutela ordinis juridici naturalis per positivum jus determinati, assequenda; — sed R. Videtur finis restringi ad solam tutelam..., et videtur definitio onerari elementis inutilibus, quia clara tamen illa consecutaria erunt.

Schol. 2^m Fieri quidem potest ut, per temporum adjuncta, utilitas communis sociorum exposeat, ut finis a societate civili procurandus coarctetur ad solam tutelam jurium; — sed *a.* haec remanet pars tantum finis naturalis ad quem natura hominem inclinat, — *b.* haec coarctatio nec per se nec per ipsam societatis naturam inducitur, nec proinde societati civili universaliter convenire potest, — *c.* poterit tantum per pactum accidentale institui, et ad tempus conservari, quamdui illa boni socialis exigentia propter adjuncta perseverabit (pactum hoc plerumque nunc vocatur *constitutio* vel *lex fundamentalis*).

ARTICULUS 3.

De societatis civilis intima structura.

Propositio 145.

Materia proxima societatis civilis non sunt individui homines, sed familiae constitutae sive formaliter sive aequivalenter.

Stat. quaest. 1) Ex dictis prop. 115 generatim in omni societate materia physica sunt subditi, forma vero auctoritas, et materia metaphysica est multitudo, forma autem conspiratio in finem unum; valebit igitur idem de societate civili.

2) Sed quoad hanc specialius querendum est quaenam multitudo: familiarum an individuorum, quinam subditi: familiae an individui homines, sint materia societatis.

3) Materiam remotam esse individuas personas in societatem coalescentes, nimis clarum est. Sed quaeritur de materia proxima, i. e. prout sit in actu primo proximo ad formandam societatem, seu prout talis sit qualis in formata societate concipienda sit.

4) Hanc materiam proximam dicimus esse familias formaliter constitutas, et personas illas quae, quum prorsus sint sui juris, extra familiam degunt, quapropter considerari debent quasi ipsae sibi familiam, imperfectam quidem, efformantes.

5) Quod de familia naturali dicitur, idem de familia arbitraria, v. c. religiosa, dici potest.

6) Adversarii hic sunt J. J. Rousseau, Beccaria, rationalistae multi, suffragii universalis fautores.

Prob. Materia proxima cuiusvis societatis sunt homines proxime dispositi ut hanc societatem constituant, seu homines prout sunt determinati vel effi-

caciter induci ad societatem ineundam; *a.* ad societatem civilem ineundam impelluntur homines non qua singulares personae, sed familiae et individui quatenus ad familias pertinent; *e.*

Prob. min. Ad societatem civilem impelluntur homines praecise quatenus incomplete sufficientes ad perfectum exercitium omnium suorum jurium, ut quoad hanc sufficientiam compleantur; *a.* homines ita incomplete sufficientes, non sunt individui qua tales, sed familiae, et individui quatenus ad familias pertinent; *e.*

ad min. Homines ut individui non sunt incomplete sufficientes, sed prorsus insufficientes; ut pertinentes ad familias acquirunt aliquam sufficientiam, sed incompletam.

Objic. Bono civitatis multum confert ut amor domesticus dissolvatur; nam secus plerumque contingit ut bonum familie bono patriae anteponatur; *e.* — R. *n. antec.* — *n. rat. add.* [a] amor ordinatus familie bono civitatis favet, in qua praeter alia bona et bonum familie invenitur; b) amor civitatis ad amorem familie impellit, quae est illius et vita et fundamentum; c) si quid secus fit, hoc per accidens ex pravitate hominum].

Coroll. Ergo de habitudine societatis civilis ad domesticam: 1) finis utriusque societatis ordinatur ad praesentis vitae felicitatem individuorum hominum, et ad perfectionem generis humani; — 2) haec felicitas et perfectio procuratur primo et proxime, sed imperfecte, societate domestica; remote et perfectius societate civili; — 3) finis societatis domesticae ordinatur ad prosperitatem individuorum et generis humani; finis societatis civilis ad perficiendum finem societatis domesticae; non tamen ita ut finis civitatis subordinetur fini alicujus familie seorsim sumptae, sed fini familiarum universim acceptarum quibus constituitur illa societas.

Propositio 146.

Societas civilis naturaliter est compositum organicum.

Stat. quaest. Quaeritur utrum societas civilis sit ad instar compositi organici, an ad instar compositi mechanici. Prius dicunt antiquiores omnes, et practice tenent gentes omnes in genere humano, quoties ad aliquam perfectionem civilitatis pervenerunt. Posteriori docent recentiores liberales, socialistae et doctrinarii.

Notiones. 1) *Compositum organicum* generatim illud dicitur quod coalescit ex partibus heterogeneis, habentibus actionem singulis propriam et specificie diversam, et informati aliquia forma vitali. — *Compositum mechanicum*, quod constat ex partibus homogeneis, habentibus actionem propriam quidem sed non specificie diversam, et informati forma non vitali.

2) Sed identitas specifica operationis variarum partium non videtur constitutioni mechanicae prorsus essentialis: mechanica enim est machina electrica etiam complicata, variis constans partibus quibus actiones aliae physicae aliae chemicae producantur.

3) Igitur *constitutio mechanica* in hoc *essentialiter* reponenda erit, quod singulae partes motum recipient vel a collectione formaliter sumpta (v. c. in quibusdam minoribus societatibus pecuniaris), vel ab aliquo elemento praecipuo (v. c. in exercitu). — *Constitutio organica* vero in eo *essentialiter* erit, quod singulae partes ipsae se determinent ad motum, sintque principium, saltem quo, sui motus (v. c. in homine).

Prob. Compositum organicum: 1) habet partes heterogeneas, singulas singulis actionibus specificie diversis destinatas, et in seipsis principium elicivum operandi habentes, — 2) nullum habet motorem communem, determinantem et dirigentem operationes; — *a.* talia de societate civili valent; *e.*

Prob. min. 1 part. (heterogeneas... principium elicivum). Illud ens requirit partes tales heterogeneas, quod fines habet maxime complexos (nam ad eos requiruntur operationes multiplices et specificie diversae); — *a.* finis societatis civilis constat ex elementis multiplicibus et specificie diversis (nam est complexus mediorum ad jura exercenda, divitias procurandas, artes et disciplinas promovendas, etc...); *e.*

Prob. 2 part. (nullum motorem communem). Ille motor unicus communis deberet cognoscere tum fines particulares omnes a variis partibus procurandos, tum media opportuniora ad illos fines, tum omnia adjuncta individualia in quibus hic et nunc versantur sive illae partes, sive illa media; — *a.* huic cognitioni acquirendae rerum tam variarum, multiplicium, difficilium, prorsus impar est tum collectio socialis complexive sumpta, tum quodvis elementum particulare; *e.*

Coroll. Partes illae societatis civilis, quibus aliqua determinata pars finis communis socialis procuranda incumbit, vocantur organa societatis. — Jam tot sunt hujusmodi organa quot fines particulares illi, qui ad constituendum bonum totale societatis concurrunt. At omnes illi fines, ac proinde organa, et functiones quibus procurantur, ad summa quedam capita reduci possunt: ad agriculturam, industriam, artes, disciplinas, commercium; quae singula genera multimode subdividuntur.

Objic. 1º Eo perfectior est societatis constitutio, quo majorem inducit unitatem operationibus sociorum; *a.* in constitutione mechanica major ea est unitas quam in organica; *e.* — R. *d. maj.* quo majorem unitatem specificam operationum, vel unitatem determinationis a motore communi, *n.*; quo majorem unitatem directionis in bonum commune totius collectionis socialis, servata interim convenienti diversitate specifica operationum, et determinatione ipsis variarum functionum organis relicta, *c.* — *c. d. min.* est major unitas specifica et determinativa, *c.* major directiva, *sd.* et simul pessum datur conveniens diversitas et determinatio, *c.* secus, *n.*

Objic. 2º Ordinatio perfecta est in exercitu; *a.* non organismum sed mechanismum imitatur; *e.* — R. *d. maj.* est perfecta in exercitu pro ejus fine, *c.* est typus perfectionis pro omni fine, *n.* — *c. min.*

Propositio 147.

Varia societatis civilis membra sunt in classes seu ordines, et in sociates minores ordinanda.

Prob. 1^a pars (in classes). Unio firma et stabilis multarum familiarum per se tendit ad formandas varias civium classes, i. e. diversas multitudines, quarum singulae similem indolem et occupationem habeant; *a.* huic tendentiae naturali non nisi injuste obstacula opponerentur; *e.*

Ad maj. Talis distinctio ordinum: 1) teste experientia semper et ubique in omni societate invenitur; — 2) necessaria est ad pacem et felicitatem communem, quae aliquam similitudinem et facilitatem in mutuo consortio requirit, ac proinde aliquam aequalitatem indolum, inclinationum, aptitudinum, imo et fortunarum, et laborum...

Ad min. Ad hoc in societate sunt et manent cives, ut temporalem felicitatem, jurum exercitium, pacem, sibi faciant secura; *a.* ad illa naturaliter distinctio classium ordinatur; *e.*

Prob. 2^a pars (in sociates minores). Finis organorum societatis civilis est ut fines particulares procurando, finem communem universum promoveant harmonice et pacifice; *a.* hunc suum finem eo melius attingere possunt, quo melius in sociates minores, seu corporationes, etc. ordinantur, nec fere possunt attingere sine illis; *e.*

Ad min. 1 part. (eo melius). Ordinatio in corporationes, etc. singulorum quidem libertatem personalem, domesticam, civilem, aliquantulum minuit (communem aliquam laboris directionem imponendo); — sed aliunde multa mala arcet (effrenae concurrentiae, zeli mutui et odii, ruinae potentiorum); — et majora bona conciliat (pacem in unione virium, vitae stabilitatem, securitatem mediorum).

Ad min. 2 part. (sine illis). Quoties nulla est corporationum ordinatio, toties necessario, ex natura rei, turbantur relationes, imo ipse conceptus relationum inter patronum et operarios, et patronorum inter se; et proinde nulla organorum prosperitas vel imo existentia (cfr. prop. 135, 136, 137).

Schol. 1^m Minime repugnare rationi, imo potius consonum esse videtur ut variis classibus aliqua varietas quoad officia publica imponatur, v. c. quoad rem militarem, quoad vectigalia, etc..., et simul aliqua varietas quoad jura publica et honorifica concedatur; dummodo nullius jura prosperitati propriae necessaria laedantur.

Schol. 2^m Distinctae quidem sint oportet variae civium classes, non tamen adeo separatae ut inter se quasi hostiles efficiantur, nec ab una classe ad aliam transitus patere, si cui civi mutantur circumstantiae possit. Ita enim in sistema castarum orientalium abiremus, neque jam vera unitas organica in societate foret, sed potius organorum sine vinculo cumulus.

Schol. 3^m Quaenam illae classes esse debeant, non sola lex naturalis determinat, sed facta varia concreta ostendunt, varia proinde in variis socie-

tatibus. Pronum fere ubique videtur distinguere clerum, et nobilitatem, et plebem, et proletarios operarios, et aliquando servos, et imo etiam publica damnatione civitate privatos.

Schol. 4^m Quid si in aliqua societate illae ordinum distinctiones, et corporationum ordinationes, vel non existant vel vi destruantur.—R. Vel sponte iterum aliis et aliis nominibus efformabuntur, vel si vi et legibus impediuntur, tota societas in socialismum et turbationem et ruinam abibit; quod nunquam clarius patuit quam nostris temporibus, post gallicam omnium institutionum et conceptuum revolutionem et subversionem.

Propositio 148.

Societas civilis est natura sua stabilis, imo perpetua.

Prob. Societas civilis ex origine sua, ex fine suo, et ex constitutione sua intima, stabilitatem perpetuam habere debet; *a.* in his est ipsa ejus natura; *e.*

Ad maj: 1) *Origo* societatis civilis est ab ipsa natura impellente; *a.* quod ab ipsa natura est, natura sua tendit ad sui conservationem et evolutionem, non ad ruinam; *e.*

2) *Finis* est ut perfecto jurum exercitio prospiciatur, media apta procurantur; *a.* ad hanc procriptionem efficacem, requiritur perpetua adlaboratio omnium sociorum; *e.*

3) *Constitutio intima* societatis est organica ordinata, ex membris quae non individui homines sed familiae sunt; *a.* familiae natura sua instituta sunt ad perpetuam humani generis propagationem; et organica ordinatio inter eas oritur ex variis inter eas relationibus perpetuis; *e.*

Coroll. generale. Ex tota hac analysi naturae societatis civilis colligi potest definitio realis: est nempe societas civilis coetus multarum familiarum ad perfectam jurum procriptionem stabiliter constitutus.

QUAESTIO 2.

De natura auctoritatis supremae civilis.

In omni societate, ac proinde etiam in civili, necessario fore auctoritatem aliquam supremam, ex praecedentibus jam notum neque nunc probandum est. Sed hujus specialis auctoritatis naturam explicantibus tria ista exponenda occurunt:

Articulus 1. De origine potestatis supremae.

Articulus 2. De subjecto ejusdem.

Articulus 3. De ejus transmissione et amissione.

ARTICULUS 1.

De origine potestatis supremae.

Propositio 149.

Absurda est origo potestatis supremae civilis per pactum sociale quale excogitat J. J. Rousseau.

Notiones. 1) Auctoritas *sensu lato* est vis quaelibet flectendi aliorum voluntates ad nutum suum, sive ratione et consilio, sive eloquentia et persuasione, sive quacumque alia arte.

2) *Sensu stricto*, est jus dirigendi voluntate sua actiones aliorum; cui juri superioris correspondet in subditis officium obtemperandi.

3) *In societate civili*, est jus dirigendi socios qua tales, seu ordinandi sociorum operationes ad finem socialem. Hujus auctoritatis sunt variii gradus; sed agimus hic de supremo, i. e. de jure gubernandi totam rem, seu dirigendi omnes socios ad finem socialem communem.

Stat. quaest. 1) Quaeritur unde oriatur politica auctoritas suprema, abstracte sumpta, i. e. praescindendo a subjecto in quo resideat, et a modo quo exerceatur.

2) Hanc originem sicut ipsam societatis originem explicat J. J. Rousseau ex contractu sociali. Scilicet : a) libertas homini essentialis est, nec potest ab eo valide alienari; e. nequit societas formari nisi salva singulorum libertate, ita ut auctoritati obediendo, non nisi sibi ipsi obediatur unusquisque; a. ad hoc unica via est ut omnia quisque sua jura societati prorsus cedat;

b) omnes homines habent jura prorsus aequalia in omnibus; e. ad constitutandam societatem et auctoritatem singuli aequalem partem conferunt; e. singuli etiam aequalem partem totius collectae auctoritatis accipiunt, nempe tantum quantum dederunt;

c) sed ad hoc requiritur ut cessio jurium sit absoluta omnium, et ut fiat integrae communitati, non alicui personae particulari; atque ita enascitur voluntas generalis totius societatis, tanquam unius personae moralis, in qua summum imperium residet, et quae singulis praeest, et a singulis efformatur;

d) hoc imperium a collectione alienari nequit; e. populus est essentialiter principes; cuius auctoritas tam sacra est ut nec dividi, nec repraesentari, nec limitari possit; e. principes, senatus, etc, non sunt nisi magistratus et officiales populi, ab ipsis nutu pendentes: destitui, ejici semper possunt.

Prob. Explicatio illa : 1) falsum supponit : essentialiem inalienabilitatem libertatis humanae, — 2) et aequalitatem jurium inter omnes homines, — 3) sibi ipsi contradicit, — 4) ad absurdum ducit; e.

Prob. ant. 1 part. (inalienabilitatem). Libertas physica voluntatis est quidem inalienabilis (cfr. psychol.); sed libertas moralis (de qua hic), i. e. facultas moralis inviolabilis operationes suas externas ex proprio nutu regendi, nun-

quam plene existit, nec proinde inalienabilis est; — nam semper existit lex naturalis, vi cuius filius patri in familia, omnis homo Deo, variis homines variis titulis, subjecti et officiis astricti sunt.

Prob. ant. 2 part. (aequalitatem). Homines spectata natura abstracta, sunt aequales et aequalia jura habent; sed in concreto spectati sunt inaequales et inaequalia jura habent (cfr. supra prop. 96, sqq.).

Prob. ant. 3 part. (sibi contradicit). Ponit libertatem esse omnino inalienabilem, et tamen eam vult totaliter alienari; e.

ad ant. Vult singulos homines omnia sua jura communitati cedere; — neque vere haec cessio compensatur exercitio aequali auctoritatis ab omnibus, nam a) de facto non omnes aequaliter eam exercent, sed majoritas numerica tantum contra minoritatem saepe vix numero inferiorem; b) etiam admissum partiali exercitio aequali, inde tantum fieret ut pro propria libertate amissa recuperaret unusquisque particulam libertatis alienae.

Prob. ant. 4 part. (ad absurdum). Sequeretur : 1) illam solam societatis formam esse essentialē et legitimā, qua auctoritas resideat in subjecto per se ad eam exercendam ineptiore : multitudine; — 2) democratiam unicam legitimam esse regiminis formam; — 3) nullum jus vel officium civibus superesse quod non a libera civium voluntate pendeat; imo nullum verum jus vel officium, nullum intrinsecum discriben inter bonum et malum; — 4) legitimam esse ordinis socialis eversionem, et tumultus; — 5) tyrannidem justam esse, quum populus jus sine limite in singulos habeat; — 6) anarchiam justam esse, quum populus, nullo modo repraesentatus, sit in se et per se princeps absolutus; — 7) socialismum et communismus juste universim induci posse.

Propositio 150.

Potestas civilis suprema est a Deo.

Stat. quaest. 1) Ad eamdem quaestionem respondet Hobbes potestatem summam oriri ex coactione praepotentis viri, vel ex mutuo hominum consensu, jura sua et libertatem transferentium in aliquam personam unam (physicam vel moralem).

2) Respondent catholici potestatem summam abstracte sumptam oriri a voluntate Dei.

Prob. Quidquid est de essentia earum rerum, quarum causa est Deus, id etiam a Deo procedit; a. auctoritas est de essentia societatis civilis, haec autem pro causa habet Deum (providentiam); e.

Ad maj. Nequit Deus sapiens rem aliquam velle et causare, quin omnia velit et causet quae de ejus essentia sunt.

Ad min. 1 part : cfr. supra.

Ad 2 part. Deus providentia sua est illorum omnium effectuum causa, ad quos ipse, tanquam auctor naturae, homines efficaciter, mediante ipsa natura, inducit; a. ad societatem civilem...; e.

Objic. Quidquid est de essentia rerum, ab eadem causa procedit ac ipsae illae res; *a.* (ex prop. 141) societas civilis procedit ab hominum consensu, et (ex prop. 113) ejus forma essentialis est auctoritas; *e.* haec etiam est ab hominum consensu, non a Deo.—*R. c. maj.*—*d. min. 1 part.* procedit immediate, in concreto quoad suam existentiam actualem, *c.* procedit generice, primario quoad suam essentialiem constitutionem, *n.*—*d. par. cons.* non immediate a Deo quoad suam concretam determinatam existentiam in hoc aliquo individuo subjecto, *c.* (cfr. infra); non quoad suam essentialiem constitutionem, ut in societate sit potius quam non sit auctoritas, *n.*

ARTICULUS 1.

De subjecto supremaz auctoritatis.

Propositio 151.

Nequit auctoritas paterna esse per se titulus tribuens patriarchae auctoritatem civilem.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo determinetur subjectum in quo auctoritas civilis suprema resideat, et quomodo ei de facto conferatur. Agitur praecipue de societate primum constituenda.

2) Respondent Taparelli et moderni scholastici multi, titulum illum esse praevalentiam auctoritatis domesticae. Hinc explicari putant varias regiminis formas, nam : *a*) si societas coalescit ex pluribus familiis ex eodem stipite ortis, auctoritas residet in patriarcha, vel eo mortuo, in eo qui jure primogeniturae est ejus heres praecipuus, atque ita exsurgit monarchia; — *b*) si societas ex pluribus familiis omnino diversis componitur, auctoritas necessario erit in toto coetu patrum familiarium, quorum auctoritas domestica sit omnino aequalis, atque ita oritur democracia vel aristocracia.

3) Dicimus : *non per se*; nam non negamus fieri posse vel forsan reapse saepe fieri, ut in enascente societate jus eam regendi communi patriarchae sit tribuendum, et ejus paternitas sit ratio determinans cur illi tribuendum sit illud jus; sed hoc per accidens erit; negamus solum illam potestatem paternam esse ipsum titulum quo jam formaliter tribuatur seu conferatur auctoritas patriarchae communi; — neque agimus nunc explicite de aliis societatibus ex familiis prorsus diversis; de his enim mox in aliis propositionibus.

Prob. Auctoritas paterna, natura sua 1) extinguitur educatione filiorum completa, — 2) non extenditur ad nepotes et alias posteros, sed ad solas proles immediatas, — 3) non major est in priore patriarcha quam in posterioribus patribus immediatis, erga proprios istorum liberos, — 4) essentialiter differt ab auctoritate civili, sicut ipsa societas domestica a societate politica, — 5) non exigit ut filii et posteri apud patriarcham maneant; unde

si manent, hoc per accidens fit, neque auctoritatem nisi domesticam aliquam illi confert; — *a.* auctoritas talis nequit natura sua vel converti in civilem vel eam fundare; *e.*

Objic. 1º Quando totum aliquod in aliud totum convertitur, oportet ut partes primi compositi convertantur in partes correlativas novi compositi; *a.* societas civilis nascitur per conversionem familiarum (prioris compositi) in civitatem (novam compositum); — *R. tr. maj.*—*n. min.* (familiae non convertuntur in aliud, sed manent familiae, ac novo vinculo inter se connectuntur ad alium finem communem, praeter finem singularum proprium).

Objic. 2º Historice constat apud varias gentes primitus auctoritatem inhaesisse communi patriarchae, quoties cognatae familiae erant; *a.* factum adeo constans nequit non ipsum jus naturale ut causam habere; *e.* — *R. tr. maj.* (de facti constantia et universalitate non ita constat!) — *d. min.* ita ut immediate ex natura rei pleno jure oriatur, *n.* ita ut ex natura rei necessaria fuerit aliqua auctoritas civilis; ac ordinario quidem sed non necessario potior fuerit ratio cur patriarchae quam alii conferretur, *c.*

Propositio 152.

Nequit aptitudo praevalens, etiam exclusive praepotentis sive physice sive moraliter, esse per se titulus tribuens determinatae personae auctoritatem civilem.

Stat. quaest. 1) Ad eamdem quaestionem respondet Haller : *a*) statum (i. e. societatem civilem) a societatibus aliis privatis naturalibus non essentialiter differre, sed eo solum quod sit independens ab omni alia superiore; — *b*) iisdem ergo relationibus statum constitui, ac reliquias societas, scilicet inter dominum et servos vel famulos, vel colonos, inter belli ducem et milites, magistrum et discipulos; — *c*) superiorem quemlibet independentem esse ipso facto principem civilem; — *d*) quoad auctoritatem civilem, esse ab ipsa natura statutam legem ut sumnum imperium sit penes validiorem, seu ut jus fortioris sit auctoritas in debiliores; etiam nullo aliorum consensu, nec alio elemento concurrente; — *e*) illa praepotentia validioris intelligenda est sive physica, sive moralis, sive melius utraque simul, quoad possessionem divitiarum et terrarum, quoad dotes intellectus et voluntatis, quoad negotiorum et belli peritiam et usum.

2) Hanc doctrinam alii post Haller expolientes dicunt : *a*) auctoritatem principis (superioris independentis) necessarie simul cum dominio haberi, illudque comitari sicut umbra comitatur corpus; — *b*) proinde patriarcham, fundorum possessorem, illa potiri naturaliter per se, si crescat posterorum multitudo et ipse independens sit; — *c*) et hoc quidem, etsi differant essentialiter auctoritas domestica et civilis : quia convenient tamen in genere, ac proin potest mutari paulatim societas et auctoritas specifica domestica in specifica civilem.